

1496 syderum, morbus peratrox initium acceperat is, qui est Gallicus appellatus: quo genitalibus ante omnia plerunque vitiatis, corpus doloribus afficiebatur, deinde pustulæ maculæque prodibant cum in membris reliquis, tum magnopere in capite facieque: ac sæpe tumores, & tanquam tubera primum subdura, post etiam saniosa exoriebantur. itaque multi diu vexati membrorum prope omnium doloribus, deformatique tuberculis & ulceribus, ut vix agnoscerentur, miserabiliter interibant. neque quorum medicamentorum pestilentia indigeret nova insolensque, sciri poterat. quamobrem annos complures omnibus in reipublicæ municipiis & finibus licenter pervagata, magnum hominum numerum absumpsit, fœdavit multo maximum. Sed quoniam eo de morbo Fracastoriani libri tres heroicis versibus multa cum dignitate venustateque conscripti vulgo in manibus habentur, nihil nos quidem attinet hæc scribentes commorari, præsertim quod ejus acerbitas & vis multo nunc jam remissior tolerabiliorque facta, vel inventis ad ea mala perfugiis opibusque, vel cælo minus in dies faviente, plane deferbuit.

*Fracastorii
poema de
Venerea
lue.*

*Bellum Pi-
sanum.*

Verum ad Pisanum bellum, de quo superius dicere cœpimus, revertamur: quod tamen ipsum impeditum magis, & diuturnum variumque cum impensæ plurimæ atque multiplicis, quam usui aut gloriæ civitati fuit. quamquam ejus quidem rei culpam omnem Ludovici æmulatione atque perfidia sustinuit: quæ tamen culpa uno ab illo fonte derivata, paulo post in ipsius caput redundavit. Magnum enim hostem nactus, cum respublica sæpius ab illo laceffita & prodita, hominis infidelissimi atque arrogantissimi societatem semel renuisset, regno expulsus, deinde etiam captus, turpissima in custodia vitam reliquit. Adductis Pisas reipublicæ auxiliis equitatus gravioris leviorisque armaturæ per Ludovici fines, qui & ipse suos equites multo tamen pauciores eodem miserat, tum per Lucensium, quos suscepti a tribus maximis Italiæ populis communi consilio belli fama compulerat, nihil ut eis esse negandum existimarent, conscripti Pisis reipublicæ pecunia